

25 Disp.II.Part.II.de leuioribus mat:I.difficult. 26

negando, nam ex forma Physica, & materia ideo verum dicitur resultare compositum, quia vera que est substantia, dicuntque ordinem essentialem ad inuicem, at in pariete albo albedo est diuersa rationis à pariete, quia est accidens, & paries substantia, deinde paries non habet essentialem ordinem ad albedinem, quia albedo est ipsi extrinseca.

Itaque concludendum est aut formam, & priuationem non esse vera, & simpliciter principia, aut vitiosam esse allatam Aristotelicam definitionem de principijs Physicis propter illas particulas, nec ex se se inuicem, quia ut ostensum est, priuatio, & forma sunt ex materia. Remanendo ergo in definitione illa Aristotelica tenendum est vnum esse solum principium Physicum absolutum loquendo, nempe solum materiam primam, quia ipsi soli conuenit definitio principij Physici, ipsa enim ex nullo fit Physicum, cùm sit creata à solo Deo, sitque ingenerabilis, & incorruptibilis, ex ipfā omnia Physica fiant, quae duæ conditions inuoluuntur in definitione principij Physici. Non desinemus tamen propterea speciarum de forma, & priuatione verba facere, quia, vt dictum est, quamvis non sint principia simpliciter, sunt tamen principia secundum quid, & comprincipia.

Partitio II.

De quibusdam minutioribus materia prima difficultatibus.

A Ntequam ad illam de actu entitatiuo materiae primæ controuersiam descendamus, minutiorens quædam explananda sunt, videlicet Quotuplex sit materia? Secundo, Quomodo materiam primam repererint Philosophi? Tertio, An sit cognoscibilis, & quomodo definatur? Denique an sit ingenerabilis, & incorruptibilis?

Pro primo duplēcē Physici statuunt materiam; unam vocant primam, & alteram secundam: Materia prima est illud subiectum, quod consideratur denudatum omnibus formis tum substantialibus, tum accidentalibus; Materia vero secunda ea est, quae consideratur quidem omnibus formis substantialibus denudata, non tamen accidentalibus, id est haber quidam dispositiones, quibus inclinatur potius ad hanc formam, quam ad illam, quae tamen duæ materiae non distinguuntur inter se, nisi penes nostram considerationem: Prima, inquam, in quantum sola consideratur nullis affecta accidentibus: Secunda, in quantum affecta accidentibus concipitur, & de materia prima præterit occurruunt difficultates imposterum examinanda, variaque fortiorum nomina, nam aliquando vocatur *yle*, in quantum est in potentia ad formas cum ipsarum priuatione: Dicitur *subiectum respectu formæ*, quam haber, dicitur *materia*, quia ex ea res omnes naturales sunt confectæ, aut quia in diuersas portiones diuila varia facit compositionem: dicitur *origo*, quia est principium generationis rerum: dicitur *Elementum*, quia ex ea primo omnia componuntur, in eamque ultimò resoluuntur: dicitur *sylva*, quia sicuti in sylva va-

ria continentur artificiata in potentia saltem, sic in materia varia naturalia continentur, dicitur *mater*, quia ex ea educuntur, & velut dignuntur formæ, dicitur *femina*, quia formam ab agente recipiens constituit compositum, deinde dicitur *terpe*, quia carens formâ caret pulchritudine: Ex his tamen nominibus pleraque sunt Metaphoræ.

Quoad secundum, Quod detur materia prima, his probare solent rationibus Philosophi. Prima deducta est ab experientia, videmus enim aliquid excrescere in malis, v.g. ignem adhibita combustibili, vnde inquirimus, quod facit maiorem ignem, vel est forma ligni, vel materia ligni? non forma ligni, quia supponitur iam esse formam ligni, ergo ipsa materia ligni, ex qua educitur forma ignis, sicutque augetur forma ignis aucta eius materia, ergo aliquid forma ligni, & forma ignis communè datur, & hoc est materia prima.

Secunda: Generatio in hoc differt à creatio. ne, quod creatio fiat ex nullo omnino presupposito subiecto, generatio verò ex presupposito subiecto, ergo ut res generentur, debent habere subiectum commune corruptio, & genito, alioquin nisi illud subiectum esset commune, generatio fieret ex non subiecto, proindeque diceretur creatio: datur ergo materia prima, quæ sit subiectum generationis, & corruptionis, hincque patet, quomodo admissa fuerit materia prima ab Aristotele, aliisque subsequentibus Philosophis, nam ante Aristotelem diuersi erant placita Philosophorum circa principia Physica.

Quoad tertium, Quomodo materia prima sit cognoscibilis, Respondent Scotistæ materiam esse per se intelligibilem absque forma, & absque relatione ad formam, Mercenarius verò in suis *Dilucidationibus* hic ait, quod inethodus cognoscendi materiam primam quoad se est, sit contrarietas in transmutatione existens.

Ex istimo verisimiliter esse opinionem Scotistarum quoad cognoscibilitatem materiam, quid sit, cùm enim Scotisti velint materiam habere de se actum entitatiuum absque ordine ad formam (de qua difficultate erit sermo partitione sequenti) conseqüenter rectè assertur materiam de se esse cognoscibilem, verum quoque dicit Mercenarius quoad cognoscibilitatem materiam quid sit: vnde frustra ex istimo immorari Fauentium in Physica theorematæ 28. vt ostendat materiam primam habere propriam cognoscibilitatem, cùm enim in anteriori theoremate ostenderit habere actum entitatiuum independenter à forma, sequitur quoque, quod habeat cognoscibilitatem independenter à forma, quare & positiuè, & negatiuè materia prima erit de se cognoscibilis, duplique definitione poterit definiri. Aristoteles enim in septimo Metaphysicorum eam definit per id, quod non haber de se formam, nec est quantum, nec quale, &c. Positiuè verò sic definitur in primo Physicorum textu 28. Materia prima est primum subiectum, ex quo aliiquid sit, cùm insit primo, & per se, & non secundum accidens.

Pro cuius definitionis maiori intelligentia adverte materiam primam non esse substantiam completam, sed incompletam, quod sit substan-

Num 8.
Probatur
dari materia
am primam.
Præk. prima.

Secundo.

Num 9.
Materia pri-
ma est de se
cognoscibilis.